

DISSERTATIO ACADEMICA,  
VATICINIA JESAIÆ IN IDUMÆOS  
(CAPP. XXXIV, XXXV ET LXIII, 1—6) LATINE  
VERSA NOTISQUE EXPLICATA,

SISTENS,

CUJUS PARTEM PRIMAM;

CONSENSU AMPLISS. FACULT. PHILOS. IN ACAD. AR.

PUBLICÆ CENSURÆ SUBJICIUNT

Mag. CAROL. JOSEPH. ESTLANDER,

*S. Theologiæ Docens, ad Consist. Acad. & Biblioth.  
Acad. Amanuensis Extra Ordinarius.*

&

GUSTAVUS HENRICUS SCHRODERUS,

*Ostrobottnienses.*

In Auditorio Philosophico d. XII Febr. MDCCCXXV.  
horis a. m. consuetis.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO PLURIMUM REVERENDO ATQUE PRECLARISSIMO,  
PRÆPOSITO HONORARIO,  
ECCLESIARUMQUE PYHÄJOKIENSIIUM PASTORI,  
DOM. ABRAHAMO FELLMAN,  
PARENTI INDULGENTISSIMO,

Quo gratam et obstrictissimam, ob curam semper paternam ac beneficia assidue sibi præstita, mentem publice testatam faceret

has Pagellas

sacras debuit voluit  
Privignus obedientissimus,

GUSTAVUS HENRICUS SCHRODERUS.

**E**DOMITÆ (vel Idumæi ut Latini e Græco fonte nomen formarunt) genus ducunt a filio Isaci dilectissimo, Esavo, — qui & Edom אֶדוֹם 1 Mos. 25, 30 a) appellabatur —, fratre Jacobi gemino natuque majori. Esavum dolo defraudat Jacobus non ætatis tantum prerogativa, sed paterna quoque benedictione una tantum eaque irrevocabili concedenda 1 Mos. 25, 29 (qq. b) 1 Mos. 27, 1—40. Unde jam ultima forsitan quærenda est ratio orti, multis dein mutisque facinoribus aucti, hæreditarii Hebræorum in consanguineam gentem odii. Ab Esavo hocce, qui uxores duxerat Canaaniticas, originem trahit gens Idumæa, quæ, sede ad montem Seir, expulsis Horitis 5 Mos. 2, 12 c), antiquis terræ hujus incolis fortibus & audacibus, fixa, in tribus divisa est ut Israëlita, sed his prius reges sibi elegit. 1 Mos. 36, 31 (qq. d) His Ægypto profugis liberum per fines transitum denegat, eosdemque illos ambigere cogit 4 Mos. 20, 14 (qq. 21, 4; Jud. 11, 17, 18. e).

A

Atta

a) Fl. Josephus. Antt. Judd. II, 1, 1.

b) Joseph. l. c.

c) De Horitis eorumque regibus conf. 1 Mos. 36, 20 (qq. 1 Chron. 1, 38. (qq.

d) De antiquis terræ Idumææ principibus e profapia Esavi oriandis vide 1 Mos. 36, 40 (qq. 1 Chron. 1, 51 (qq. Confr. quoque C. B. MICHAËLIS *Diss. de antiquissima Idumæorum historia &c.* inserta Syllogæ Comm. Theoll edit. a D. J. POTT, P. V.

e) Joseph. l. c. IV, 4, 5. Quomodo vero hocce conveniat cum 5 Mos. 2, 4—8. 29; nobis saltem non liquet.

Alta dein premitur caligine historia Idumæorum ad tempus usque Sauli, qui victricibus eos debellavit armis, 1 Sam. 14, 47. Quos deinde Davides ingenti eis clade illata & vastata eorum terra subigit, & victorem Joabum præsidio terræ collocat 2 Sam. 8, 14; 1 Reg. 11, 15. 16; 1 Chron. 18, 11 sqq. f). Post mortem vero Davidis formidabilisque Joabi & delapso in luxuriam Salomone, Hadadus quidam, e regia eorum profapia oriundus, qui regnum paternum recuperare studuit, turbas movebat, 1 Reg. 11, 14 sqq, minus tamen, ut videtur, felici successu g). Sed tandem regnante Joramo (892—884 a. C. n.) postquam 155 annos Judæis subiecti fuerant, fusi quamvis deficiunt 2 Reg. 8, 20—22; 2 Chron. 21, 8—10  
confr<sup>9</sup>

f) Causam belli tm internecivi si quæris, invenies forsitan in fœdere quoque, quod cum gentibus ad extinguendos Israelitas iniverant Idumæi. Pl. 83: 6, 7.

g) Probabile nobis videtur, quod contendit Cel. J. S. BAUMGARTEN (Uebersetzung der Allgemeinen Welthistorie Th. II, p. 67 (50, B.). Hadadam huncce intercedente rege Ægyptiaco, quocum affinitate 1 Reg. 11, 19, ut & Salomo, junctus erat, regnum paternum ab hoc clientis jure accepisse, (confr. tamen 1 Reg. 11, 25), quem dein regium titulum eodem jure sub posterioribus Judææ regibus præfides Idumææ retinuisse videntur, donec tandem ab illis defecerunt. Hoc posito atque concesso, repugnantia locorum 2 Reg. 3, 9. 12. 26 eum 1 Reg. 22, 48 & 2 Reg. 8, 20. facile tolli potest. Ubi enim in primo horum locorum dicitur regem Idumæorum cum Josaphato bellum Moabitum inferente (Jes. capp. 15 & 16) confociatum fuisse, & in 1 Reg. 22, 48 Idumæos sub Josaphato regem nondum habuisse, sed postquam a Joramo Josaphatis filio defecerant demum sibi creasse 2 Reg. 8, 20; hoc sine dubio intelligendum est de rege a nullo superiore Monarcha pendente, quum eousque tributarii tantummodo præfides, vel Indigeni vel Judæi, regio nomine & potestate imperium in eos tenerant; quales quoque fuerunt, qui cum Josaphato, utut Exarchi, ipsi jure beneficiario obnoxii subiectique, erant conjuncti. Quod si statucis, modum non secundo, sed expediendo solum habebis.

confr. 1 Mos. 27, 40, nec ulterius ad prisca urgeri potuisse videntur obsequia. Etiam si enim Amazia, caeso ingenti eorum numero *b*) urbem Selam ceperat, caput regni antiquum 2 Reg. 14, 7—10; 2 Chron. 25, 11 sqq. & Usia ipsum portum Elath recuperaverat 2 Chron. 26, 2; at tamen sub Ahaso res contra oppresores prospere gessisse videntur. 2 Chron. 28, 17. Auctis dein sensim viribus potentes facti sunt & felices Hebræorum æmuli, licet eosdem aliquando extirpandos aut potestati suæ subjiciendos sperarent & prænuntiarent horum vates. Videlicet 4 Mos. 24, 18; Pl. 60: 10, 11; 108: 10, 11. Joel 3: 24; Amos. 1: 11; Jes. 11: 14. Socios etenim semet Nebucadnezari Chaldæorum regi adjungentes Idumæi, ad Hierosolymam (circa a 588 — 572 a. C. n.) evertendam, gentemque ipsam petulantia & crudelitate tractandam adjuvabant, tum hujus in se malefactorum pœnas exacturi Ezech. 25: 12 sqq; 35, 1 sqq; Obad. v. 10 sqq; Pl. 137, 7; Thr. 4: 21, tum spe quoque ducti, se terram ejusdem vastatam sibi fore vindicaturos, Ezech. 35: 10; 36, 5. *i*). Ab hoc inde tempore, quo inexstinguibili in Chaldæos, eodem in Idumæos flagrant odio exsules Hebræi; raro igitur ubi hos execrantur, illorum obliviscuntur, Pl. 137, 7—9 cet. unde quoque hujus temporis vates certatim

A 2

quasi

*h*) Joseph. l. c. IX, 9, 1.

*i*) Ab oraculis hisce temporibus editis videre est, eosdem fines suos aquilonis austrique partibus haud parum amplificasse; nam septentrionem versus ad *Bozram* usque in Auranitide fines extenderant, Jerem. 49, 7 sqq. & in meridiem versus usque ad *Dedan* Arabiæ Jerem. l. c. Ezech. 25, 13. In terra quoque *Us* Idumæi habitasse dicuntur, Thr. 4, 21 confr. tamen SPANHEMIUS, Hist. Jobi, Cap. III. p. 48 sqq. & ROSENMÜLLERUS, Scholia in Jobum. Proleg. Cap. V. p. 22, sqq.

quasi dira eis adprecantur atque minantur, Obad. Jerem. 49: 7 sqq; Ezech. 25: 12 sqq, 32, 29; 35, 1 sqq. Et quum temporibus exsilii semet tuiti & conservati Idumæi *k*) quasdam sibi, Israelitis antea proprias arripuerant possessiones (confr. 1 Macc. 5, 65 cum Ezech. 35, 10; 36, 5) exacerbatis Hebræis vices quasi hostium gentiorum agebant, ideoque poenas hostium Jehovæ præsertim ut poenas de Idumæis capiendas describunt vates (nostra pericopa idque ad expectationes pertinebat, quas de Messia venturo fovebant exules. Nec reducibus extinctum adhucdum erat odium. Ubi enim sub Juda Maccabæo libertatem sibi aliquatenus vindicaverant, bello hos ad Hebronem usque jam proruptos infestabant. 1 Macc. 5: 3, 65; 2 Macc. 10: 17 sqq. 12: 32 sqq. Quos tandem Johannes Hyrcanus post a. 129 a. C. n. subactos ad ritus Judaicos transire coegit, *l*) unde in unum jam populum ita coaluisse videntur, ut postea ex eorum quoque gente Herodes Magnus ad regiam usque dignitatem semet efferret; sed tamen obsessa ultimis regni Judaici temporibus a Tito Hierosolymarum urbe, Zelotibus & sicariis cæde & rapina insignibus, adsociati, furorisque eorum æmuli,

---

*k*) Idumæos brevi post everfam Hierosolymam vastatos fuisse contendunt EISENIOR (Bibl. Proph. Th. II, p. 618 & 625) idemque ex Joseph. Antt. X. 9, 7 ВЕРТНОЕДТ (Einleit. in sämtl. Schriften d. Alten u. Neuen Testaments p. 1389, 1440 & 1626) addens totam civitatem Edomiticam eodem momento sublatam; attamen quum Fl. Josephus l. c. mentionem tantummodo Moabitaram, Ammonitarum & Ægyptiorum a Nebucadnezare devictorum facit, verosimillimum est Edomitas, uti Chaldæorum socios, calamitate hæcce liberos mansisse, quod quoque bella ab eis postea contra hostes hæreditarios gesta, atque ampla quæ, dum exules Judæi captivitate tenebantur, de horum possessionibus terræ suæ adferebant, incrementa palam indicant.

*l*) Joseph. l. c. XIII, 9, 1, & 15, 4.

æmuli, nefanda quævis facinora, inveterato indulgentes odio perpetrare certarunt m).

Absoluta sic brevi & succincta gentis Idumææ historia, quam nostræ capitum Jesaianorum, oracula in Idumæos continentium, versioni præmittere necesse duximus, ulterius de horum vaticiniorum inter se nexu, de tempore quo illa evenisse statuuntur & tandem de mota circa auctorem ætatemque eorum quæstione pauca dicendum putavimus.

Bina Capita XXXIV & XXXV cohærere non possumus quin censeamus, bipartita quamvis videmus eadem a mul-

m) Joseph. Bel. Jud. L. IV Capp. 4 & 5; VII. 8, I. VIII, 1, I. *Idumæa* ad Ægyptum brachiumque maris Erythræi occidentem versus, ad Arabiam petrosam parte meridionali & orientali atque ad Palæstinam mareque mortuum in septentrionem versus spectat. Terminos ejus distincte definire non licet, hi enim pro varia gentis fortuna variant. Esauus ejusque prognati in montanis Seir habitabant, I Mos. 32: 4, unde ad occidentalem partem Arabiæ petrosæ ad mare usque mediterraneum semet postea extenderunt; captivis vero in Babylone Judæis, Edomitæ ad Hebronem usque regni protulerunt fines. I Macc. 5: 65; Joseph. B. J. IV. 9, 7. — Urbes Idumææ paulo majores, in libris sacris recensitæ, sunt: *Petra* (עֵדֻם) Jes. 16: 1. 2 Reg. 13: 7. *Bozra*, I Mos. 36: 33. *Dinhaba* Ibid. vers. 32, *Avith*. Ibid. v. 35. *Pai* vel *Pau*, Ibid. v. 39. ac *Theman* & *Dedan*, Ezech. 25: 13. Inclyti præterea erant portus *Elath* & *Eziongeber*, siti ad sinum maris rubri I Reg. 9, 26. STRABO p. 759. NIEBUHR, p. 400. sqq. Post excidium urbis Hierosolymitanæ pars terræ Israeliicæ australis Idumææ nomine, præsertim apud Fl. Josephum obvenit. Romanos interdum hoc nomine, ubi de tota Judæa mentio erat, usos probat RELANDUS. Pælæst e monum. vet. illustr. T. I. p. 48 sqq, 66, sqq, 154, 305 sqq. — Neque silentio prætereundum duco aliquos mysticæ explanationis patronos putare, Romanos sub nomine Edom hæc significari.

a multis magnique nominis viris, <sup>2)</sup> quippe cum tam lingua per ambo capita plane uniformis, quam suffixum in verbo וַיִּשְׁמַע 35, i. nexum hisce intercedentem aperte indicent. Quo accedit ambo necessaria esse ad formam vaticiniorum Hebræorum usitatam constituendam, ubi semper post mala demum fata meliora tandem evenire lucemque almam pulsas tenebris quondam cœlo exurgere promittunt vates. Sic in nostræ quoque pericopæ priori parte, stilo admodum sublimi & pœtico verbisque speciosis exponit vates cruentam terræ hostilis vastationem, quæ reditui exfulum in posteriore parte promisso præiret. Prius enim quam lata redire posset gens Israelitica, ab hæreditariis illorum possessionibus, quas ad partem sibi vindicaverant, Idumæi abigendi & propellendi erant. Ideoque Cap. LXIII, 1—6, quod coronidis instar prioribus adjungendum est, devincendum aut devictum jam ab ipso Jehova acerrimum hostem nativum, vindiciarumque torcular calcandum aut calcatum lætus canere vergit vates.

Quidnam vero sit, quoque tempore peractum triste illud & tremendum Edomi judicium in priori capite descriptum non plane constat. Admodum enim variæ sunt de hac re Interpretum sententiæ. GROTIUS ad judicium refert, quod Deus circa illa ipsa tempora, quibus ad antiquas sedes e Babylonia redierant Judæi, in gentem Assyriorum omnesque illi vel subditas vel socias nationes & speciatim in Idumæos per Æthiopas exsequeretur; LIRANUS & inter recentiores quidam doctissimi viri, ut KOPPE, PAULUS, EICHHORN, ROSENMÜLLERUS describi heic existi-

---

<sup>2)</sup> ex. gr. EICHHORN. Bibl. Proph. T. II. p. 618. T. III. p. 160, ROSENMÜLLERUS in Scholiis ad Jesaiam. & PAULUS in Clavi Jes. pag. 230.

existimant calamitatem Idumææ vicinisque terris ac populis, Judææ adversariis, inferendam & illatam per Nebucadnezarem o). Generalius alii accipiunt ex. gr. PISCATOR & BELGÆ, nec prophetiam ad certum tempus restringunt implendam, sed hocce vaticinio prædici tantum volunt peremptoriam Dei in omnes suo populo infestas gentes, Assyrios, Babylonios, Syros, Moabitas, Ammonitas, Philistæos, Arabes, Ismaelitas, Phœnices, Cuthæos & insignem inter hos locum occupantes Idumæos, sententiam. VITRINGA & J. D. MICHAËLIS calamitatem olim eventuram putant. Attamen, quoniam in dubio positum esse videtur an vastatio hæcce per Nebucadnezarem, aut Judam Maccabæum 1 Macc. 5: 3, 65, Johannem Hyrcanum sive quemcunque alium peracta sit, nos collato vaticinio Obadiæ p) & Malach. 1: 2 sqq. pariter ac posteriore gentis hujus historia omnem hac in re conjecturam B. L. pace in medio relinquimus, nec ubi & quo tempore impletum fuerit vaticinium anxie quærimus, probe memores lubricam admodum atque incertam esse illorum rationem, qui quæ vates universim summatimque enuntiarunt, ad certos eventus singulaque facta revocare studeant.

Hæcce vero vaticinia eadem illa, quæ si non omnia oracula Jesaiana a Cap 40:mo ad 66:tum q), at maxima

o) Nosram de hac re sententiam in nota K:jam exposuimus,

p) Vide vaticinii hujus inter Nosrates Interpretem Cel. Profesi, J. H. FATTENBORG.

q) Quum senior horum vaticiniorum ætas a plurimis iisque peritissimis Interpretibus tam evidenter probata sit atque evicta, ut ulteriori de hac re dubitationi vix locus sit relictus, anxie & difficili hac quæstione denuo retractanda longius a proposito nostro nosmet abduci quidem nolimus; sed præcipuas tamen rationes, quibus hæcce innitatur sententia, utpote judicium de nostra quoque pericopa fulcientes, heic breviter recensendas putavimus.

xima tamen illorum pars, sibi vindicant tempora, ultima scili:

- a) Exsilium non ut futurum quoddam vel olim eventurum, sed ut præsens, quod jam acciderat malum, ubique depingitur. Carcere enim nunc & vinculis presens populares lætioribus, quæ mox contingerent fati, exhilarat vates. Hierosolyma ruinas ostendit (44, 26, 28; 51, 3; 52, 9); easque jam antiquas חרברת עולם שממורח ראשונים (58, 12; 61, 4); vasta & inculta est solitudo tota terra Judaica (62, 4); cujus urbes & templa subversa (64, 9—11) mox erunt refecta. (44, 28; 58, 12; 60, 10; 61, 4); Populus, quem omnino deseruerat Jehova, hostium rapinis dilaceratus, carceribus & vinculis constrictus, h. e. captivitate tenetur (42, 22—24; 52, 2. 3. 5); sed vergit tamen ad finem servitus, (40, 1, 2).
- b) Rationes, quæ inter gentem Israeliticam & exteras nationes intercedebant, ætati Jesaïæ parum convenientes, serius aperte indicant temporis momentum. Regnum enim Chaldæorum ad summum etiam culmen elatum, mox tamen ab illo eversum erit Coresch, qui a nullo unquam vate prædictus, sed auxilio Jehovæ ornatus, (41. 2. 3. 25. 26; 44, 28; 45, 1—4. 13; 46, 11; 48, 6—8. 14, fqq.) favorem, quo exsules Judæos amplexus est, liberum eis in patriam reditum concedendo, templumque eorum extruendo manifestum reddidit, (44, 28). Quæ omnia non ut olim eventura, sed ut jam præsentia depinguntur. Tempore vero, quo Jesaïas vixit, gens Chaldæa, primis adhuc initiis, imperio Assyriorum forsitan subiecta, Judæis amica plus quam inimica erat (Jes. c. 39). De Coresch quoque (quod præterea nomen Cyri adpellativum erat, post splendida ejus & illustra facta ei honoris causa inditum), de regnoque Medico Persico, Jesaïæ ævo, ne augurari quidem licuit, quum Medi illo adhuc tempore ab imperio Assyriorum penderent. (Jes. 22, 6; 2 Reg. 16, 9; 17, 6). Judæi igitur Assyrios quidem ut hostes non vero exsilium, ut vocatur Babylonicum, tunc temporis timere, ne dicam captivitate hæc jam teneri potuerunt. Quare vaticinia hæc vix ullas, Jesaïæ tempore, Judæis attulissent utilitates, qui patrias sedes securi migrationis incolebant. Et tandem inter vates Jesaïæ æquales, nec Hoseas, nec Amos, nec Micha de tali gentis Judaicæ captivitate loquuntur.
- c) Omnia, quæ de populi Judaici statu illiusque cum exteris gentibus commercio ratione sui temporis habita narraverit horum vaticiniorum, quisquis ille fuerit, auctor, veritati historicæ appime conveniunt; cum vero futura ejusdem vaticinatur fata, in lætissimas tantummodo spes, quibus nil nisi eventus deest, erumpit. Adflicta enim &

scilicet exsilii Babylonici, nec ideo Jesaia: Amosi filio r) sed alii cuidam anonymo vel priori homonymo vati adjudicanda

B

da

- infelix, miserationem magis quam invidiam movens sub Ezra & Nehemia reducum conditio splendidæ nullo modo convenit picturæ capp. 60, 65, 66, qua aurea mox post reditum in patriam veniente ætate, primi inter gentes splendore & potentia fore prædicuntur confr. Nehem 1, 3 sqq. 2, 3 sqq. Zach. 1, 7—17. Hagg. 1, 3. sqq.
- d) Stilus quoque a genuini Jesaia: loquendi consuetudine valde est diversus. In vaticiniis enim hisce oratio ubique sese expedita atque facilis est, plana licet diducta & repetitionibus plena, tractus orationis lenis & æquabilis; oratio vero genuini Jesaia: argue brevior, gravior, sententiis & imaginibus presse strictimque expressis plena, sed & haud raro durior & impeditior. Quod vero oratio illa solutior, æquabilius majoreque cum lenitate profluens ad feriozem pertinet ætatem, ex comparatione antiquioris cujusdam prophetæ ex. gr. Hoseæ cum juniore quodam vate v. c. Jeremia aut Zephania, priorum Psalmorum cum ferioribus, facile adparet.
- e) Usus Idiotismorum linguæ Hebraicæ ferioris aut Chaldaicorum, sive strictius, si velis, Aramæismorum e Babylonicæ dialectus genere, quod expectandum erat a scriptoribus dicti jam temporis, frequens est; quales sunt: עמר exurgere, prodire, pro קום 47, 13 confr. Dan. 8, 23; 11, 2. 3. 20; 12, 1. 13.; Kohel. 4, 15; 1 Chr. 21, 1. — הגורם והלשכות, 66, 18 dicendi forma mere Chaldaica, confr. Dan. 3, 4. 7. 31; 5, 19; 6, 26; 7, 14. ברל truncus arboris 44, 19, cujus nominis significatus e lingua eadem repetitus est.
- f) Oracula hæcce longo post obitum Jesaia: tempore edita fuisse vel ex eo tandem adparet, quod si Jeremia: jam exsistissent ævo, certissime hic, qui ob prædictum exsilium, cui tamen nemo fidem initio habere voluit, omnis generis cruciatus & persecutiones passus est, ad talem tam clarum omnibusque acceptum vatem, cujus etiam scriptis alibi usus est (confr. ex. gr. Jes. capp. 15 & 16 cum Jerem. 48.) heic quoque, uti ducem provocasset, qui non solum exsilium prædixisset, verum exactissime descripsisset, ulterius quoque in longum tempus futurum prospiciens,

r) Jesaias, (ישעיהו, Hesaias, i. e. ut bene vertit Hieronymus, σωτηρία χυσιου — ישעיהו forma abbreviata pro ישעיהו) filius

da multis causis, iisdemque gravissimis ducti censemus. Primo enim, quod unicum jam ad rem demonstrandam satis forsitan sufficeret argumentum, ipsa harum, de quibus loquuntur hæc oracula, gentium Historia, ista indicat tempora; quippe cum, si everisionem regni Idumæi vel per Nebucadnezarem circa a. 585 — 572 a. C. n. factam cum *Cel.* EICHORN l. c. sumeres, quantum tamen temporis inter hoc & quo supremum obiit diem genuinus Jesaias distaret? An igitur credibile illum tam parvas res, et tam longo post tempore eventuras vel potuisse prævidendo accurate adeo depingere? Quo deinde accedit, quod promissa in 34, 8 ultio, quam Judæi, a gente Idumæa peterent, aperte indicat tempus, quo hostilia hujus in illos facinora, de quibus paulo supra locuti sumus, jam patrata erant. Hanc quoque eandem rem manifestam reddit cap. 35, quod totum quantum de læto exsulum in patriam reditu agit. Si igitur, quod supra satis demonstrasse nobis videmur, ambo capita sint conjungenda, nullum nobis restat dubium, quin ea ad tempora

---

Amozi (אַמֹּזִי *Amos*) viri ignoti (nec ut nonnulli patrum ecclesiasticorum, prophetæ Amosi אַמֹּזִי *Amos* simili amborum nomen in lingua Græca scriptione decepti voluerunt), anno quo mortuus est Uhas (6. 1) h. e. 759 a. C. n. primum uti vates inclaruit, & postquam tribus dein insequentibus Regibus, Jothamo ad 749, Ahazo-728 & Hiskia-699 vaticinia ediderat, tandem vel eodem Hiskia regnante diem obiit supremum, vel sub Manasse, si fides narrationibus Rabbiorum & traditioni tam talmudistarum, quam veterum christianorum doctorum habenda est, secundo hujus regni anno 697, terra disfectus, violentam oppetiit mortem. De vita igitur illius tum privata, tum publica parum scimus. Nam ad liquidum vix perduci potest, an fuerit educator principis Hiskie, qualis Nathan Salomonis, ut contendunt PAULUS clav. p. 62 AUGUSTI Einl. in d. A. T. p. 242, aut historicus regni מוֹכִיר Svet. Rikshistoriograph) ut vel BEATHOLDT l. c. p. 1348, aut si prorsus quodam sanctus fuerit munere publico.

pora exsilii Babylonici ultima referamus. Novum præterea huicce opinioni addit robur arcta, quæ inter hæc & alia tam prioris quam posterioris libri vaticinia, quæ Jesaia quoque nomine circumferuntur, at ferioris tamen hujus ætatis sunt, intercedit cognatio vel dicam affinitas. Conferas ex. gr. 34, 4 cum 13, 9. 10; 24, 19 19q — 34, 11 19q. cum 13, 20—22; — 35, 2 cum 40, 5. 9; 60, 1; — 35, 3—5 cum 40, 1. 2. 9; 42, 16; — 35, 6, 7 cum 43, 19. 20; 48, 21; 49, 10. 11; — 35, 8 cum 40, 3. 4; 41, 17. 18; 49, 11; 62, 10. e. s. p. — Nec desunt tandem in capitibus quoque his vocabula, quæ ad nominati temporis usum linguæ pertineant, ut. ex. l. חררים 34, 12, quæ vox in genuinis Jesaia vaticiniis numquam, apud Nehemiam vero sæpe legitur (vide 2, 16; 4, 14) & verbum נאם, quod cap. 63, 3 formam aramaicam & notionem *polluendi* obtinet, quæ apud ferioris tantum ætatis scriptores usu invaluit, ex. gr. Jerem. 59, 3; Th. 4, 14; Zeph. 3, 1; Malach. 1: 7. 12. Quæ cum ita sint, admodum probabile videtur vaticinia hæcce ad idem esse referenda tempus, ac posterior sic dicta horum oraculorum pars, illud sc, quo jam ad finem vergebat exsilium Judæorum Babylonicum. s).

### Caput XXXIV.

Epitium de hostibus Jehovæ devictis. Jehova gentibus iratus, eas internecioni devovit, (1—4) terramque præsertim Idumæam gladio vindice plectit, (5—8), quam igne devastatam (9, 10) multo post non nisi lemures hor-

---

s) ROSENMÜLLERUS Schol. in Jes. T. II. pp. 471. 480 & de WETTE Lehrb. d. hist. Krit. Einl. in d. Bibel A. u. N. Test. p. 233. 234. BERTHOLDT l. c. oracula hæcce ad initium exsilii Babylonici refert.

horrendaque monstra, bestiis silvarum sociata, incolunt, (11 1qq.) —

Conferendi sunt Obadías. Jerem. cap. XLIX. 7 1qq. Ezech. XXV. 12 1qq.

V. 1. Accedite gentes ad audiendum, aures advertite populi! exaudiat tellus et quod eam implet, orbis cum sua prole. 1).

V. 2. Irascitur enim Jehova gentibus, adversus omnes eorum copias ira fervet, devotas internecioni tradit. 2).

V. 3.

v. 1. Exordio grandi & magnifico convocat vates omnes per orbem terrarum nationes ad audiendam sententiam contra gentes populi Deo cari persecutrices ferendam, illiusque executionem suis quasi oculis spectandam; quam eandem fusius explicat, oratione a generali objecto ad speciale mox conversa terram Edom ut centrum quasi horum hostium vallandam sistens.

נלמ hoc loco idem valet ac Græcorum *πληρωμα*, & non solum de hominibus terram incolentibus, sed etiam de omnibus aliis rebus ex illa nascentibus, intelligi potest, eodem fere sensu, quo נצמצא occurrit I Mos. 2, 1; quod idem etiam de voce נצמצא valet.

v. 2. Ad spem auxilii a Jehova impetrandi, quam fovebant Judæi, potissimum pertinebat illum hostes eorum fore exstirpaturum confr. 41, 11. 12. 15. 16; 42, 13—15; 49, 24—26; 51, 17—23.

גרי sæpissime in Codice sacro idem valet ac Latinorum *barbari*; omnes sc. comprehendit peregrinos, qui e prosapia Abrahami non oriundi, moribus & religioni Hebræorum additi non erant. Germ. Nicht Juden, Nicht Israeliten confr. GESENI Lex. Hebr. s. h. v. החרי in Hiph. tantum usitatum ad totius dictionis vim augendam adposite hoc loco legitur. Cum enim חרם *rem quandam Deo, ita devovere & consecrare, ut numquam redimi possit*, valeat, irrevocabile quoque fore iudicium nunc pronuntiandum, hoc verbo significare voluit vates, שבח idem ac ובח pr. victimas mactare, sacrificare; unde h. l. gentes quasi victimas mactandas internecioni tradere.